

N.N. (saec. VI-VII)

Hymnus „Verbum supernum prodiens“

1. Verbum supernum prodiens
a Patre lumen exiens,
qui natus orbi subvenis
cursu declivi temporis:
2. Illumina nunc pectora
tuoque amore concrema;
audita per praeconia
sint pulsa tandem lubrica.
3. Iudexque cum post aderis
rimari facta pectoris,
reddens vicem pro abditis
iustisque regnum pro bonis,
4. Non demum artemur malis
pro qualitate criminis,
sed cum beatis compotes
simus perennes caelites.
5. Sit, Christe, rex piissime,
tibi Patrique gloria
cum Sancto Spiritu Paraclito,
in sempiterna saecula. Amen.

(Lateinischer Text: preces-latinae.org)

Thomae de Aquino

Hymnus „Verbum supernum prodiens“

1. Verbum supernum prodiens,
Nec patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens
Venit ad vitæ vesperam.
2. In mortem a discipulo
Suis tradendus æmulis,
Prius in vitæ ferculo
Se tradidit discipulis.
3. Quibus sub bina specie
Carnem dedit et sanguinem,
Ut duplicis substantiæ
Totum cibaret hominem.
4. Se nascens dedit socium,
Convalescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.
5. O salutaris hostia,
Quæ cæli pandis ostium,
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.
6. Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria.

(Lateinischer Text: corpusthomaticum.org)